



Abb. 17.



IN VESTIBULO
DVO PRA

DE HISTORIA
ECCLIAE
IN
INTER PL

IOHANNES

DE HISTORIA
CONSTITUTIONIS

NICOLAUS

VETERIAS



UNIVERSITÄT
MAGDEBURG



DISPUTATIO PRIMA
DE VETERUM RUGIANORUM RELIGIONE,
qva probatur,

CORBEJAM FUISSE
MATREM PRIMAE
ECCLESIAE CHRISTI-
ANÆ IN RUGIA.

Habebit eam,
Consensu Amplisf. Facult. Philosoph.
in Academia Gryphiswaldensi,

*Anno Jubileo M DC XCIII. qvi celebratur
ob confirmatam religionem Lutheranam
in Suecia,*

PRÆSIDE
M. GEORGIO CHRISTOPHORO
GEBHARDI,

Mathematicum Professore Publico Extra-Ord.

RESPONDENS

SAMUEL ULRICH GRÜTZMACHER,
Gryphiswaldensis,

Gryphiswaldie H. L. Q. C. die 30. Martij.

GRYPHISWALDIÆ,

Literis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
REG. ACAD. TYPOGR.

VIRIS

MAGNIFICIS, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILISSIMO,
CONSULTISSIMO, EXCELLENTISSIMIS
ATQVE AMPLISSIMIS,

DN. M. BRANDANO HENRICO
GEBHARDI,

Ling. Orient. Professori Ordin. clarissimo, hoc tempore
Rectori Academiae Magnifico;

DN. JACOBO HENNINGIO,
SS. Theol. Doctori, & Professori, Regii Consistorii
Assessori, & ad D. Jacobi aedem Pastori, celeberrimo,
gravissimo, fidelissimo;

DN. D. FRIDERICO GERDESIO,
Jcto, & Antecessori famigeratissimo, & Regii
Consistorii Directori splendidissimo;

DN. M. *SHNE-BDZ* DANIEL
COLBERGIO,

Moralium Professori Ordin. dignissimo;

*Dominis, Patronis, ac studiorum suorum
Promotoribus*

Exercitationem hanc Academicam

in signum grati animi pro plurimis acceptis beneficiis,
& ulteriorem studiorum suorum commendationem

offert

RESPONDENS.

DEO AUSPICE.
ARGUMENTA CAPITUM.

- | | |
|--|---|
| <p>I. De translatione colonia Corbejenfis in territorium Paderbornense.</p> <p>II. De fundatione nove Corbeje ad Visurgim.</p> <p>III. De exuviis S. Viti Corbejam veterem translatis, & hinc in monasterium nove Corbeje.</p> <p>IV. De gloria Francorum una cum corpore S. Viti ad Saxones traducta.</p> <p>V. De miraculis, quae Monachi S. Viti adscripserunt.</p> <p>VI. De Monachorum pio zelo</p> | <p>Septentrionem religione Christiana imbuendi.</p> <p>VII. De Hamburgensium Archiepiscoporum progressibus in convertenda gente Slavica.</p> <p>VIII. De expeditione Monachorum Corbejensium in Slaviam, & conversione Rugianorum.</p> <p>IX. De tempore, quo Corbejenses Rugiam converterunt.</p> <p>X. De donatione Rugie facta Monachis Corbejensibus.</p> |
|--|---|

§. I.

Nondum Pomerania subierat jugum novi imperii, quod Carolus M. late exercebat, cum domitâ Saxoniam invictissimus Princeps pium agitaret consilium de idololatriâ extirpandâ, & imbuendis fide Christiana gentilibus. Videbat autem tantum & tam præclarum opus non armis, nec vi, sed solius verbi divini potentiâ prudentè esse inceptandum. Quamobrem animum induxit, colonias eruditorum patriâ emittere in Saxoniam, qui rudes populorum animos paulatim mitigarent, & Christo lucrarentur. Non latebat hoc Adalhardum, Virum, ut genere illustrem, ita pietate insignem, & Imperatori sanguine conjunctum, qui propterea habitis invicem consultationibus id decreverat nunc agendum esse, ut non tantum viri docti illuc migrarent, sed etiam ut ipsis certus assignaretur locus, in quo homines erudirent, & in quem, qui religionis propagandæ causa ulterius iter facturi essent, se iterum possent recipere. Est in Picardia, notissimâ regione Galliae, oppidum, non quidem vastorum operum, sed tamen validorum, cui nomen est Corbeja. Jacet ad fluvium Somonam, & distat Ambiano ortum versus tres leucas. Cœnobio ille locus semper fuit clarus, præeratq; ipsi eo tempore dictus Adalhardus. Certus itaq; voluntatis sui Principis regressus est ex aulâ,

A 2

& rem



& rem hanc communicavit cum monachis. Eâ tempestate vivebant passim in Scholis Gallorum juvenes è Saxonia, inq̄ horum numero erat aliquis nomine Theodradus, qvi se addixerat convictui monachorum hujus cœnobii. Ex hoc intelligebat Adalhardus, in patria locum esse præ reliquis omnibus tali operi idoneum. Eum itaqve erectione monasterii honorare statuit, sed cum ablegatus esset in Italiam, ut gubernaret Regnum Longobardorum, præter expectationem Carolus vitâ excessit, simulq̄ magna spes Adalhardum cepit destituere. Neq; enim frustra timuit sibi. Nam Ludovico Pio, Caroli filio, imperii clavum capeffente, falsis criminibus gravitèr fuit delatus, undè non tantùm gratia excidit, sed etiam Præfulatu Corbejensi. Quamvis quidem injuria hæc viro optima quæq; merito illata multis doloribus affecisset monachos, qvi sub ejus ephoria fuerant, resistere tamen non poterunt fulmini, quod ex aulâ veniebat, sed elegerunt alium Abbatem ejusdem nominis. Tantùm enim amorem sibi prior conciliaverat Adalhardus, ut, qvi ejus convictu & familiaritate usi erant, dignum tali fastigio censerent neminem, nisi qvi simul idem gereret nomen. Optimè etiam prioris Adalhardi vestigia legit Adalhardus II., quippe qvi nil se magis decere judicabat, quam illud tandem in effectum deducere, quod decessor diuturnâ cogitatione & sollicitâ curâ presserat, & in omnes partes jam versaverat. Re itaqve in confessu monachorum deliberatâ statuit adire ipsum Imperatorem, qvi singulari quadam propensione solebat complecti locum aliquem Westphaliæ, olim Patherbrunnam vel Padelbornam, nunc Paderbornam dictum, urbem inter reliqvas non postremam, jucunditate vero multis aliis præstantem. Hic itaq; optimus vir Ludovico Imperatori suum consilium exposuit, & felici omine, quod petierat, impetravit. Præerat tunc Ecclesiæ Paderbornensi Episcopus Hathumarus, qvi, cum locus, quem Corbejenses sibi elegerant, ad illam diœcesin spectaret, etiam concessit in Abbatis preces. Nec diu moratus est Adalhardus, sed in loco, qvi dicebatur Hechi, vel, ut alii memoriæ tradiderunt, Hetha, plaudentibus suis fratribus, posuit fundamentum coloniæ Corbejensis.

§. II. Facta est monasterii fundatio Anno Christi 815., sed in loco prorsus incommodo. Sterilis enim erat, & omnibus rebus, quæ ad vitam trahendam sunt necessariæ, destitutus. Laborabat præterea aquarum penuria, ut ne sitim quidem possent extinguere monachi, aut qvi religionis

religionis causa accesserant. Itum igitur est in alia omnia; remigrare in veterem patriam & semel inceptum opus tam subito relinquere, videbatur Christianæ pietati non convenire. Ceperunt autem deliberare de transplantatione suæ Scholæ: Accidit vero præter omnium expectationem, ut Adalhardus I. damnatis pristinis odiis, iterum iniret gratiam Imperatoris, novisq; ac majoribus adhiberetur honoribus. Primum, quod suscepit reversus ab exilio senex, erat consilium subveniendi inopiæ horum colonorum. Itaq; quia periculum moram non patiebatur, suâ pecunia comparavit, misitq; quanto ocyus poterat, ad dictum pagum Hetha, quæ ad victum esurientes diu desideraverant. Protinus etiam, ut qui iterum Corbejensis monasterii Abbas constitutus erat, decrevit alium locum eligere, qui ad vitam tolerandam esset aptior, & ad peregrinos recipiendos magis idoneus. Invenit etiam talem ad fluviam Wiseram, nunc Visurgim, propè villam Huxere, vel Huxeri (oppidum nunc est Höxter) in pago Auguense, transtulitq; in eum omnem splendorem, cunctaque sacra, & cives novæ urbis. Solenni autem processione ierunt monachi in hanc sedem Anno 822., postquam in pago Hetha compleverant 6. annos, & octavo Calend. Septembris Episcopus Paderbornensis vexillum crucis erexit, ubi deinde constructum est altare. Brevi tempore coronis fuit imposita huic ædificationi, inceptumq; non caruit felici eventu. Undiq; enim confluebant, qui bonarum literarum & verbi divini cupiditate accensi se horum monachorum informationi dabant. Quod cum videret Adalhardus, misit Walonem fratrem suum, ad impetranda omnia privilegia, quibus aliæ gaudebant in Francia Ecclesiæ. Conciliaverat sibi Walo hanc legatione tantum autoritatis, tantumq; benevolentia, ut fratres cœnobii Præsulem suum orarent, quo constitueret illum successorem. Erat autem in aulâ Imperatoris Warinus quidam illustri profapia ortus, qui licet omnibus bonis afflueret, abdicavit tamen se illis, atq; ipso conjugio, & vitam elegit monasticam. Hunc Adalhardus sibi destinaverat successorem; ablegavit igitur, qui illi consilium hoc annunciarent. Cum autem interea temporis Abbas diem suum oppeteret, monachi in veteri cœnobio fratrem Walonem elegere, in novo autem, ut qui de voluntate demortui Præsulis certi essent, Warinum. Sed Walo brevi iram Imperatoris incurrebat; & licet antea præceteris carus ei fuerit, tamen in exilium mittebatur. Sic Warinus

utriusq; consensu dignitatem istam suscepit, & integros 30. annos retinuit. Non conveniunt scriptores inter se de ortu ejus. Etenim juxta quorundam relationem fuit nepos Pipini Francorum Regis, Caroli patris, ex filia, alii autem dicunt, eum fuisse fratrem Cobbonis, Comitis Tecklenburgensis. Unde nonnulli Adalhardum, Warinum, Walonem, Cobbonem habent pro germanis fratribus, liberis filiaë Pipini. Quicquid vero hujus rei sit, illud ex omnium historicorum consensu liquet, Warinum fuisse illustri prorsus genere ortum.

§. II. Hic Warinus omni desiderio flagrabat, religione quadam præ ceteris monasteriis in Saxonia novam Corbejam gentibus commendare, & plures solito allicere, qui hunc locum frequentarent. Quæ itaq; erat illorum temporum perversitas, non tam ipsa Evangelii prædicatione judicabat hunc honorem conciliari posse, quàm cadavere martyris cujusdam ex peregrina terra deportato. Et quoniam ipse diu in Franciâ vixerat, ibiq; locorum multum tribui viderat sanctorum relictis cineribus, tales etiam suo cænobio inferre decrevit. Ferunt, olim decima illa crudelissima persecutione, quæ Romæ facta est, regnantibus Diocletiano & Maximiliano, sævissimo etiam supplicii genere fidem Christianam obfignasse puerum quendam, nomine Vitum, ab aliis Justinum appellatum, ortum in Lycia, (alii Lucanum dicunt) nobili familiâ, Judice Rectiovaro; Qui cum à patre fuerit datus Præfidi regionis Valeriano, ut idolis offerretur victima, patrem multis subito malis affectum restituit sanitati. In Italiam deinde perductus à pædago, cui nomen Modesti erat, Romam pervenit, & ibi multos perpessus cruciatus demùm membris contusis extinctus est, atq; ab illustri femina Florentia in loco, qui Martianus dicitur, sepultus. Hujus ut & aliorum martyrum corpora sepulchris suis condita esse inaudiverat Fulradus Abbas in Monasterio S. Dionysii, quod habetur in campo Parisiorum, & dicitur nunc Saint Denis. Cum itaq; zelo arderet, nescio an dixerim, cæco, vel quæ illorum seculorum erat insania, stolido, eorum reliquiis suum cænobium exornandi, petiit à Pipino Francorum Rege, liceret sibi Romam abire, & has sacras martyrum exuvias in Galliam deportare. Facile consentiebat optimus Princeps, nec res caruit suo eventu. Cum enim rumor percrebesceret, Fulradum moliri tam religiosum iter, plures se ultro ipsi comites fore sponderunt. Erat etiam inter illos Laicus, præ ceteris devotus, qui cum esset ditissimus, omnem

omnem suam pecuniam obtulit Abbati, & quantum ejus peractio itinere erat residuum jussit S. Dionysio legari. Delatum itaq; est cadaver Viti illo tempore in hoc monasterium. Warinus autem novæ Corbejæ Præsul anno 832. huc pervenit, & impetrata venia ab Imperatore, consensu Episcopi urbis Parisiensis, suffragiis aliorum nobilium, nec reluctante Hilduwino Abbate ad S. Dionysii, illas reliquias aggressus est ex Francia deferre in Saxoniam. Traditum itaq; est hoc corpus Warino à dicto Abbate, præsentî omni populo, 14. Calend. Aprilis. Iter institutum fuit recto tramite, & perventum tandem, magnâ populorum catervâ comitante, Corbejam novam Idibus Junii. Licet hæc translatio corporis S. Viti à plerisq; dicto tempore narretur facta esse, antiquum tamen chronicon aliud eandem alligat ad annum Christi 891. dicitq; accidisse imperante Arnulfo vel Arnolpho, Godeschalco existente novi Corbejensis Abbate, & ad sextum calend. April. Sed cum priori relationi plurimi ex antiquitate suum calculum addant, hæc sit brevis saltem & abrupta quædam narratio, nos etiam supra dictæ adstipulamur.

§. IV. Sanè vetusta monumenta omnem illam accessionem honorum, quæ huic recens institutæ societati deinde facta est, unicè adscribunt S. Viti illius merito, quòd tanti valoris fuisse contendunt, ut ejus intuitu DEUS sit miseratus omnium gentium in Saxonia, & Vandalia. Illa tempestate, quâ corpus ejus ex Francia erat delatum in Saxoniam, Reges Franciæ diadema imperii Romani obtinuerant, & veterem splendorem Imperatorum renovatum etiam ad Saxones detulerant. Migrabat simul Francorum decus in peregrinum orbem, & qui antea per vastas solitudines & invia dumeta dispersus latuerat populus, nunc in lucem protrahebatur, & novum quendam induebant potentiæ ac gloriæ habitum. Qvesti sunt jam olim de hæc mutatione Franci; deficiente enim non multo post stirpe Caroli M. in Ludovico III. cum Conradus Franciæ Dux saltem 7. annos præfuisset, electus est Imperator Rom. Henricus Auceps Dux Saxonix; ita enim habet chronicon Mindense: *S. Carolum imperatorem Ecclesie Mindensis Apostolum fuisse & fundatorem, beatus Gregorius Episcopus Turonensis, & alii, qui ejus gesta fideliter conscripserunt, testificantur. De temporibus autem Caroli sunt versus.*

Inter & Athletas, quos mundi protulit ætas,

Tu CAROLUM reputes hominum transcendere metas,

Orbem



Orbem perstringens Rex CAROLUS imperat ingens,
Post Christum CCC. D. jungas & superadde,
Decem cum quatuor, CAROLUS Rex moriebatur.

Harwardus secundus Episcopus Mindensis vixit eo tempore. Circa tempora istius corpus S. Viti de Parisiis in monasterium Corbejam Westphaliae transfertur, unde Franci testati sunt, hoc in praesagium contigisse, quia ab illo tempore gloria Francorum translata est ad Saxones. Et annales Wittekindi Corbejensis L. I. Quando vero Rex Rhenum transierat, ad dilatandum super Lotharios imperium suum, occurrit ei legatus Caroli & salutato eo verbis humillimis: Dominus meus, inquit, Carolus regia quandam potestate praeditus, modo privatus, misit me ad te demandans, quia nihil ei ab inimicis circumvento jucundius, nihil dulcius esse potest, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, fama virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit, protulitque de sinu manum pretiosi martyris Dionysii auro gemmisque inclusam, hoc, inquit, habeto pignus foederis perpetui & amoris vicarii. Hanc partem unici solatii Francorum Galliam inhabitantium, postquam nos deseruit insignis martyr Vitus ad nostram perniciem, vestramque perpetuam pacem, Saxoniam visitavit, communicare tecum maluit. Et porro. Post multa vero tempora Romam veniens quidam Fulradus nomine, & ibi gesta legens pretiosi martyris, notavit locum sepulchri: Veniensque levavit reliquias sacras, collocavitque eas in pago Parisiaco. Inde regnante Ludovico Imperatore translate sunt in Saxoniam: Et ut legatus Caroli confessus est, ex hoc res Francorum ceperunt minui, Saxonum vero crescere: Donec dilatatae ipse suam magnitudine laborant, ut videmus in amore mundi & totius orbis capite patre tuo: cujus potentiae majestatem, non solum Germania, Italia, atque Gallia, sed tota ferè Europa non sustinet. Colito itaque tantum patronum, quo adveniente, Saxonia ex serviente facta est libera, & ex tributaria, multarum gentium Domina.

J. V. At enim licet hic effectus falso olim fuerit attributus sanctitati hujus martyris, tamen miraculi loco semper fuit, ut & multa alia, quae vetusta chronica de S. Vito praedicant. Merito enim à veritate abesse judicamus, quae S. Vitus, cum ex Gallia in Westphaliam deportaretur, dicitur esse operatus. Huc etiam referendum esse censemus, beneficio illius cadaveris nunquam tempestates aut fulgura damnum creasse in monasterio S. Dionysii, quamdiu ibi fuerit. Similiter fabulae sunt,

sunt, in itinere mulierem quendam, nomine Emergardin, annos 12.
cœcam, cum obviam venisset, subito recuperasse suum visum, circa
monasterium S. Dionysii, it. aliam, nomen Harawillis, 5. annos cœ-
cam sanatam fuisse ejus conspectu prope cellam Gislefridi: circa Au-
giam duas Baltrudem & Gertrudem restitutas esse oculorum sanitati
eodem remedio; Puerum octennem Warinum claudum fuisse cu-
ratum, simulac feretrum accesserit, alium vero convaluisse linteo,
quod super feretrum fuerit expansum. Narrant quoque sub Abbate
Godeschalco apparuisse monacho Alfrio ægrotanti 7. teterrimos diabo-
los ex cloaca ascendentes, quorum singuli portaverunt volumina 6.,
septimus autem aliud inusitatæ magnitudinis, hunc deinde aperuisse
librum suum, & omnia opera verbaque, quæ Alfrius gesserat, & dix-
erat enunciaffe, quâ re cum territus esset monachus, repente emicuisse
S. Vitum, immundæ turbæ manu fugam indixisse, ægrotum efficacis-
simè consolatum, & impositâ manu capiti illius, benedixisse, & è lecto
jussisse surgere sanum, id quod etiam protinus factum sit. Sed quis feret
nos, si omnes illas ineptias voluerimus referre, quæ à vetustis scripto-
ribus in laudem Viti dicuntur? Enim vero hoc erat ex usu monacho-
rum, ut incautæ plebi glaucoma objicerent, & illam præstigiis fascina-
tam pertraherent in suas partes. Æmulabantur enim collegia eorum
inter se de sanctitate, & quodlibet ceteris hoc nomine præferri cupie-
bat. Hinc, cum eruditione interdum non multum valerent, & raro ha-
berent viros eloquentiâ præditos, qui populum allicere potuerint, exu-
viis veterum martyrum decorabant ædes, & illis admirandas ut pluri-
mum vires in sanando adscribebant. Ex quo fiebat, ut populus, qui
vario morborum genere nunquam non laborat, mira frequentia illuc
conflueret, ibi fallax fama novum ejusmodi & unusitatum alias medicum
à mortuis surrexisse narraverat. Contigit hoc etiam novo Corbejen-
sium cœnobio. Plurimi enim divinis illis S. Viti laudibus allecti ex
longinquis oris eo proficiscebantur, partim ut corpori ægroto medelam
quærent, partim ut conscientias tam præsentis, ut credebant, Numine
erigerent, suorumque peccatorum impetrarent remissionem. Monachi
tamen ipsi præterea omnem intendebant operam, quantam unquam
poterant, ut proprio labore quæsitam hanc sanitatis gloriam tuerentur
& latius spargerent. Quocirca illorum numerus quotidie crescebat, &
fama eorundem in dissitas quasque regiones perferebatur. Sub Warino
B
secundo

secundo Abbate, qui ipsis initiis cœnobii vixit, leguntur conventuales fuisse 54. Unde haud dubiè possumus colligere, quod multo major adhuc numerus discipulorum tunc temporis fuerit in illo monasterio.

§. VI. Fama certè illorum adeò percrebuit, non tantum in vicinis regionibus, sed etiam per universum Septentrionem, ut, qui latius circumtulert Evangelium præter hos monachos, inveneris prorsus nullos. Egregiam in hujus rei notitia proferenda operam præstitit Cl. vir, C. F. Paullini, qui ante paucos annos edidit theatrum illustrium virorum Corbejæ Saxonicæ. In quo magnus exstat catalogus Episcoporum, Abbatum & aliorum gravium virorum, qui hinc profecti fuerunt, partim ad convertendas gentes, partim ad regendos alios in Ecclesiâ Pontificiâ. Vel unum S. Anscharium si dixeris, communem Septentrionis Apostolum, & Ecclesiarum Hamburgensis ac Bremensis primum Archi-Episcopum, quod non simul decus nominaveris oræ nostræ Balthicæ, quod non religionis Christianæ columen? Neque enim, cum monachi in aliis cœnobiis otio torperent, & Evangelii prædicationem longè post haberent suæ quieti, Corbejenses in cryptis suis delituerunt, sed improbo labore, & studio prorsus divino ac singulari religionis gratia longissima quæque susceperunt itinera, nec ullum veriti periculum eo penetrarunt, quo nec ipse sol quandoque potest pervenire. Ita enim sanciverat Ludovicus Pius in bullâ super erectionem Ecclesiæ Hamburg. *Idcirco sanctæ DEI Ecclesiæ, filiis presentibus & futuris certum esse volumus, qualiter, divina ordinante gratiâ, nostris in diebus, aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum Svecorum, Norveorum, terræ Gronlandon, Hallingalandon, Islandon, Scredevindon, & omnium Septentrionalium & Orientalium nationum magnum caelestis gratiæ prædicationis sive acquisitionis patefecit ostium, ita, ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa mysteria caelestia, ecclesiasticaque subsidia desiderabiliter expeteret. & infra; Cui videlicet Anschario tam nostra, quam S. Rom. Ecclesiæ autoritate, hanc DEO dignam in præfatis gentibus commisimus legationem, ac proprii vigoris adscribere decrevimus dignitatem. Et quia casus præteritorum cantos nos facit in futurum, ne quisquam Episcoporum aliquam sibi trans Albiam, vel alicubi in prædictâ parochiâ vendicet potestatem, certo limite circumscriptam esse volumus, videlicet Albia flumine deorsum, usque ad*
mare

mare Oceanum, & sursum per omnem Slavorum provinciam, usque ad mare, quod Orientale vocant, & per omnes predictas nationes Septentrionis. Omnes quoque paludes infra sive juxta Albiam positas, cultas & incultas, infra terminos ejusdem parochie ponimus, ut Trans-Albani se & sua ab incurso paganorum, qui saepe timendus est, securius in his locis occultare queant. Papa etiam Gregorius in confirmatione; Ipsum filium nostrum, jam dictum Anscharium, & successores ejus legatos in omnibus circum quaque gentibus Danorum, Svecorum, Norvehorum, Gronlandan, Halsingolandan, Islandan, Scridevindum, Slavorum, nec non omnium Septentrionalium & Orientalium nationum quocunque modo nominatarum delegamus. Nec solus Anscharius hanc curam, cum viveret, enixè exercuit, sed successores ejus omnes fideliter eandem in se susceperunt, quorum multi fuerunt pariter alumni novæ Corbejæ, ut, Rembertus, Adelgarius, Hogerus, Unni vel Wino. De rebus pro salute Ecclesiæ & Evangelii veritate feliciter fortiterque horum operâ gestis plena sunt veterum historicorum monumenta. Quid? quod etiam nonnulli speciali consilio se totos foverant sacris ejusmodi laboribus in solo Septentrione (latior enim est, quàm ut unius peragrati, pateat) instituendis. Hoc nomine noti adhuc sunt viri indefessæ sedulitatis, Stephanus, Witmarus, Gautbertus, Adalwardus, Nithardus, qui Sveciam, & Gislemarus, qui inprimis Daniam luce verbi divini illustravit. Omnes autem illi, ut & innumeri alii Corbejæ hâc egressi fuerunt, famamque suæ patriæ per immensa ferè regna latissimè diffuderunt. Ob quod singulare studium monachorum in promovenda religione Christiana magnus semper honos ei fuit habitus, & locus in diplomatibus Imperatorum quandoque titulum obtinuit Sacro-Sancti, ut annotavit Cl. Paullini. Labet ex illius præfatione verba Bucelini transcribere de hâc re. Vix ullum in orbe fuit asceterium, quod plures spectatioresque in Septentrionis universi conversionem, tanto sibi decursu seculorum hostiliter imminentis, Apostolos educarit vel submiserit: Quorum operâ factum, qui maximè metuendi toties Europæ incubuisent populi; S. matris Ecclesiæ filiis accensi, maximo deinceps metu imperium universum liberarent, amicitia fœdera jungerent, commercia inirent, fructu & commodo tanto uni ferè huic Corbejæ referendo. Quæ si vel vel unicum S. Anscharium commodasset, hoc ipso illud sibi immortaliter obstrinxisset; Cujus tamen è gremio tot SS. Episcopi,

Archi-Episcopi, gentium Apostoli, & Doctores maximi prodierunt, ut mundum haud immeritò in admirationem rapuerint uniuersum SS. Adalhardi, Wimones, Stephani, Remberi, Hogeri, Adelgarii omnes saepe non unius Regis & regni sed plurium, & maximè distantium conversione gloriosissimi? Qui, quot ejusmodi Christi regno, totidem imperio adiecisse, totque juratos Reip. Christianae hostes subegisse existimandi sunt. Quo quidem merito haud videas quid preferendum sit aut comparandum.

§. VII. Hamburgensi autem Episcopo praeter ceteris erat impositum, curare opus conversionis in terris Septentrionalibus. Quod, qui dignitatem istam amplectebantur, subterfugere nullatenus oportebat. Idcirco quaerit Crantzius L. 3. Metropol. c. 1. quæ causa sit, quod, cum Hamburgi semper fuerint viri stemmatis gloriâ & eruditione insignes, Episcopi tamen procul, Corbeja scilicet, fuerint accersiti, & respondet sibi ipse, causam fuisse, quod acerbitas mandati terruerit incolas. Verba ejus sunt sequentia: *Opera pretium est, intueri, cur Hamburgensis, & illi jam adunata Bremensis Ecclesia tam frequenter à patribus de Corbeja translatis teneretur. Num in collegio Hamburgensi, aut cœtu Bremensi, vel in congregatione Buccensi non inventus est, qui operi videretur idoneus, ut non tam de longinquo Archi-Episcopi peterentur? Praesertim si religionem sectarentur electores, eadem & his locis vigeat. Cur non vel ex aula Principum, vel de terra nobilitate unum aliquem sustulerunt? Credo non defuisse qui sedem primam in provincia satis ambirent, si non illos tenuisset imposita legationis ad gentes necessitas, quam plerique ut periculosam fugitarunt. Insignis tamen hac tempestate & diu postea fuit Corbejensis cœtus, & patrum veneranda frequentia, zeloque divinae religionis propaganda mirabiliter fervebat. Cum autem dictus Ansharius & alii feliciter operam suam locarint in Svecorum & Danorum gente convertenda, parùm tamen constat de illorum progressu apud Slavos. Hi enim erant quoque Hamburgensis Archi-Episcopi ephoræ commissi, ut praeter alia etiam testatur Helmoldus chronici Slavici L. I. c. 6. Sunt autem multi, ut supra dictum est, Slavorum populi, quorum hi, qui dicuntur Winuli sive Winithi, magna ex parte respiciunt Hammenburgensem parochiam. Nam praeter honorem Metropolitanæ sedis, qua omnes nationes sive regna complectitur Aquilonis, habet utique Hammenburgensis Ecclesia praescriptos terminos suæ parochiæ, ultimam scilicet partem Saxonie, quæ est*
trans

trans Albiam, & dicitur Nordalbinga continens tres populos, Tethmarsos, Holfatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Winithos, eos scilicet qui dicuntur Wagiri, Obotrui, Kycini, Circipani, & usque ad flumen Panim & urbem Dimin. Ibi est limes Hammenburgensis Parochie. Enim verò hi soli maximoperè reluctati sunt verbo divino, nec dulce Christi jugum in se suscipere voluerunt, ut idem confirmat d. l. Inter omnes autem borealium nationum populos sola Slavorum provincia remansit ceteris durior, atque ad credendum tardior. Res illa non adscribenda est Episcopis, quibus cura horum populorum commissa erat, quique seduli eam urgebant, sed duritiei Slavorum. Fatetur hoc pariter Helmoldus cit. loc. Non caret admiratione, quod dignissimi Præsules & Evangelici prædicatores Anscarius, Reimbertus & sextus in ordine Uni, quorum in conversione gentium ingens claruit studium, Slavorum curam tantoperè dissimularunt, ut nec per se, nec per ministros aliquem in eis fructum fecisse legantur. Effecit hoc, ut aestimo, populi hujus incredibilis duritia, non autem prædicatorum torpor, quibus animus circa vocationem gentium adeo fuit affectus, ut nec opibus, nec vitæ pepercerint.

§. VIII. Constat tamen ex vetustis monumentis, monachos quosdam Corbejenses penetrasse quoque circa illa tempora in nostram regionem, & præcipuè in Rugiam, ibique prædicatione verbi homines ad Christianam religionem perduxisse. Malo hic verba Helmoldi, quam mea legi. Tradit veterum antiqua relatio, quod temporibus Ludovici secundi egressi fuerint de Corveja monachi sanctitate insignes, qui Slavorum salutem scientes impenderunt seipsum ad subeunda pericula & mortes pro legatione verbi DEI. Peragratisque multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani sive Rugiani, & habitant in corde maris. Ibi fomes est errorum & sedes idololatria. Prædicantes itaque verbum DEI cum omni fiducia omnem illam insulam lucrati sunt, ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, & in commemorationem S. Viti, qui est patronus Corveja. Eadem hæc verba repetit Crantzius L. II. Vandalicæ cap. 25. Queritur autem primo, quo tempore hæc expeditio facta sit? Helmoldus ait: Temporibus Ludovici II. Crantzius addit, is erat Rex Germaniæ, filius Imperatoris Ludovici, quasi voluerit præcise illud tempus indicare. Chronicon Mindense allegat an-

num 878. *Item Rabanus, Abbas Fuldenfis, & Doctor egregius, Archi-
Episcopus Moguntinus ordinatus est, anno Domini DCCC. LXXV. tertio
verò anno sequenti monachi de Corbeja Rugiam, quæ est insula maris
juxta civitatem Sundis, DEO cooperante, converterunt & in honorem
S. Viti patroni ibidem Ecclesiam construxerunt, undè versus:*

*Turbas hostiles turbans, mediosqve per hostes
Irrumpens rupit more Leonis iter.*

Item:

*Hic est Elias magni de vertice montis
Cœlesti tumidos qvi ferit igne viros.*

Baronius tempus hujus itineris rejicit in annum 875. quem etiam sequitur Calvisius. Sed cum vetusti Scriptores dicant conversionem Slavorum duo habuisse impedimenta, videlicet Normannorum irruptionem & civilia Germaniæ bella, inter filios Caroli M. gesta, hisq; eosdem descivisse à Christianâ religione, aut erit affirmandum, Rugianis prius jam fuisse Evangelium prædicatum, aut etiam illas turbas diu durasse, aut tandem non Rugianos, sed alios Slavos esse intelligendos. Normannorum enim variæ expeditiones factæ sunt imperante adhuc Ludovico Pio. Carolus M. autem, post cujus obitum filii inter se digladiabantur de imperio, mortuus est anno 814. d. 28. Jan. Existimamus igitur, hoc interpretandum esse, partim quod Archiepiscopus Hamburgensis eo tempore quidem conatus fuerit Slavos convertere, propter bella autem & hostiles motus parùm potuerit efficere. Notanter enim inquit Helmoldus c. 7. L. I. *Sanè populis Slavorum & ceteris gentibus fide imbuendis grave ab initio præbuit impedimentum ea bellorum tempestas, quæ Nordmannis tumultuantibus in toto penè deserviit orbe.* Partim quod illa verba conversionem Slavorum in genere videantur concernere. Interim calculum chronologicum non turbat, si dixerimus, Ranos defecisse, & monachos Corbejenses, ut quidam volunt, terrâ sua expulisse, tumultuantibus adhuc Normannis, siquidem illi longo tempore in Gallia & Germania bella gesserunt crudelissima. At enim nascitur præterea aliud dubium. Refert enim Calvisius ex Balæo, Slavos à Ludovico Germaniæ Rege ad Christianam Religionem conversos opera Methodii, propriâ lingvâ ceremonias Christianæ religionis voluisse peragere, juxta notum illud dictum: *Omnis Spiritus laudet Dominum.* Et hoc ipsis concessum

concesum fuisse à Papâ Nicolao, anno 862. Ex quo quis inferre
 posset, conversionem Slavorum hujus regionis esse antiquiorem.
 Sed R. hic non in specie mentionem fieri Rugianorum, sed Slavo-
 rum in genere. Slavorum autem regiones admodum latè patebant,
 ut colligimus ex Helmoldi c. 2. L. I. Octodecim imprimis populi
 fuerunt, qui olim dicti sunt Slavi, quemadmodum Bangertus anno-
 tavit in commentario ad Helmoldum.

- | | |
|---------------------------------|-------------------|
| 1. Pomerani | hodiè Pomerani |
| 2. Lebusii, Stoderani & Wilini | Brandenburgenses |
| 3. Brizani | Prignizenses. |
| 4. Havelani, Helveldi, Hevelli. | Havelbergenses. |
| 5. Sidini | Stettinenses |
| 6. Circipani | Gryphiswaldenses. |
| 7. Kiffini | Güzcovienses. |
| 8. Rhedarii, Riaduri, Ridarii. | Röbelenses. |
| 9. Tollenzii | Treptovienses. |
- Hi 4. ultimi populi dicti sunt uno nomine Wilzii, Wilsii, Lutitii,
 Luitii, Weletabi, Viletabi & Vultzi, quorum metropolis fuit Loiz
- | | |
|--|------------------|
| 10. Warnavii, Varini, Heruli, Werli, Wendi | Rostochienses. |
| 11. Obotriti. | Meklenburgenses. |
| 12. Polabi, Polavi. | Razeburgenses. |
| 13. Wagrii, | Lubecenses. |
| 14. Rani, Runi, Raji, | Rugiani. |
| 15. Lingones, Lini, | Lüneburgenses. |
| 16. Sorabi, Serbi, | Serveftani. |
| 17. Uchri, Ucri. | Ukerani. |
| 18. Daleminci. | Misnenses. |

Non itaq; necessum est, ut, quod Balæus retulit de Slavis, ad Rános in
 specie applicetur, cum longe plures populi tali nomine olim venerint.

§. IX. Verum enim vero tertium superest, illudque gravissi-
 mum adhuc dubium, quod movet antiquum chronicon Corbejense,
 testatum, Imperatorem Lotharium tradidisse Rugiam novæ Corbejæ.
 Quis itaq; hic Lotharius? Si est Ludovici Pii filius, & pater Ludo-
 vici II. Imperatoris, ratio temporis non videtur esse eadem. Hic enim
 mortuus est anno 855. d. 28. Sept. Lotharius ejus filius Ludovici II.
 frater intelligi posse non videtur quoniam hic juris nihil habebat in Sla-
 viam,

viam, sed utebatur saltem regno Gallia, quantum quidem patri ejus competierat. Nisi itaque velimus dicere sphaema aliquod hic esse commissum incuria scriptoris, forsan statui poterit, donationem factam à Lothario Saxone, Imperatore cujus annus emortualis fuit 1137. d. 6. Decembr. Vixit autem circa illa tempora autor chronici, illud quod colligimus ex catalogo Abbatum Corbejensium, & annorum, quos praefuerunt.

Fundata est Corbeja anno 822.

Adalhardus praefuit annos	4.	
Warinus	30. menses	5.
Adalgarius	20.	
Thancmarus		8.
Avo	32.	
Bovo	11.	
Godeschalcus	10.	
Bovo	16.	
Folckmarus	25.	
Bovo	6.	
Gerfmsus	27.	
Liudolfus	26.	
Thietmarus	18.	
Hofed	9.	
Wahl	4.	
Druthmarus	32.	
Rothhardus	4.	
Arnoldus	5.	
Saracho	15.	
Wernherus	8.	
Frithericus	3.	
Marqvardus	26.	
Erkenotus	22.	
Folkmarus	9.	10.
Adalberus	5.	
Heinricus	3.	
Heinricus		6.
Wickboldus		

Qvi

Qui omnes anni collecti efficiunt. 371., quibus si addideris 822. eruuntur 1193. qui non longe absunt à temporibus hujus Lotharii. Sed neque sic omnis contradictio exspirabit; 1. enim non credibile est, Lotharium Saxonem demum post trecentos annos Rugiam Monachis tradidisse, cum interea temporis facile potuerit ex hominum memoria excidere, quantum laborem prius Corbejenses adhibuerint in Rugianis convertendis. 2. ea tempestate Rugiani horrendam exercebant idololatriam, & jam diu à fide Christiana desciverant; quippe cum Otto Pomeranorum Apostolus satis superque illo tempore experiretur, quanti hostes essent Rani nominis Christiani. 3. Certum est Ludovicum Regem Germaniæ Ludovici Pii Imp. filium gravia gessisse bella cum Slavis, eorumque partem haud exiguam Christianæ Ecclesiæ mancipasse. Unde si unquam Rugiani converti potuerunt, eo imprimis tempore fuerunt conversi. Neque enim ante hunc Regem tantum negotii fuit Christianis cum nostris populis, neque post illum res adeo feliciter successerunt in debellanda hac gente. Constitutus autem est hic Ludovicus Rex Germaniæ anno 840., mortuus anno 876. Lotharius Imperator proclamatus fuit anno itidem 840., & cum Ludovicus Pius utriusque pater morti vicinus rem ita ordinasset, ut filius Ludovicus regnum à fratre ut feudum haberet, dubium non est, quin etiam Lotharius in regno Ludovici aliquam potuerit potestatem exercere. Non itaque absurdum erit, si dixerimus, Lotharium hunc Monachis Corbejensibus ad incitamentum pietatis, promisisse terras Slavicas, & imprimis Rugiam, quod constabat, ejus incolas præ ceteris esse duros, & Ludovicum hanc promissionem aut concessionem habuisse ratam. Quoniam vero Lotharius multo prius vita excessit, quam conversio Rugianorum facta esse memoratur à Scriptoribus, videtur haud improbabile, Monachos Imperatori consilium suum de Slavia explicuisse, atque ita in signum benevolentiae obtinuisse illam ea conditione, si converterent. Credimus etiam, eos non uno vel altero anno opus hoc perfecisse, sed longiori aliquo temporis spatio, atque ita peragratis prius & conversis variis Slavorum regionibus tandem etiam, & quidem jam post mortem Lotharii in Rugiam pervenisse, eamque insulam Christo fuisse lucratos. Quod itaque annum accurate attinet, quo Rugia est conversa, eum quidem præcise determinare non possumus nec debemus. Primum impedit Scriptorum
C
dissensus,

dissensus, & eorum, quæ diximus oppositio, alterum, quoniam conversio totius gentis paucis annis peragi non potest. Idcirco Rugiam à Corbejensibus prima vice ad Christianam fidem perductam esse statuimus circa tempora ruentis seculi noni, ante quæ tempora Christi nomen in hac regione prorsus ignotum fuit, ut Scriptores unanimiter testantur.

S. X. Quod autem fuerit vera donatio facta monachis Corbejensibus ab Imperatore, illud colligimus ex contextu dicti chronici.

Dominus LIUDVICUS Imperator Augustus Caroli Magni F. tradidit monasterio locum HUXERI, cum omnibus finibus suis. Eresburg & Meppiam Abbatiolas, & cætera prædia in aquilone: Juduha Imperatrix ab eodem viro suo hæc obtinuit.

Dominus Liudvicus Rex die dedicationis Hemele in dotem altaris obtulit: Tradidit etiam Hemmentorp Abbatiolam Visbikæ, decimas cum decimalibus Ecclesiis in Episcopatu Asnebruggi, vineas in Liciaco Hemma, Regina hæc ab eo obtinuit.

Domnus Lotharius Imperator tradidit RUGIAM Insulam cum tota circumjacente Provincia. Cum enim videret Imperator, absque dubio varia subeunda esse pericula monachis, & vitam ipsam sæpius postponendam salutis barbarorum, maximos præterea exantlandos labores in duritie Rugianorum expellenda, de qua quærentur omnes vetusti Scriptores, quamque præ ceteris Slavis insignem apud Rugianos fuisse annales memorant, intuitu tanti laboris, tantorumque operum Imperator legavit hanc terram Corbejensibus, ut quotannis ex illa decimas obtinerent. Præter has enim Episcopi à conversis vix aliquid accipiebant, illas autem, peracto labore, enixè soliti sunt efflagitare, ut passim ex Helmoldo patet. Usus hic etiam nostro tempore obtinet adhuc in Rugia, ut pastoribus locorum singulis annis decimæ tradantur. Uterius quæritur: an dicti monachi egressi fuerint mandato Episcopi Hamburgensis ab Ecclesia Hamburgensi, vel an proprio instinctu venerint Corbeja in hæc regiones? Ultimùm affirmamus: & quidem ob duas rationes, quarum prior est, quia Helmoldus hanc conversionem opponit laboribus Episcoporum Hamburgensium c. 6. Posterior, quia donatio proventuum ex Rugia non Hamburgensi Ecclesiæ facta est, ad cujus inspectionem tamen prius etiam hæc regio

regio fuerat relata, sed ipsi Corbejæ. Nec vero tantum Rugiam
Christiano nomini addixerunt, sed etiam alias terras. Illud liquet,
cum Helmoldus ait, quod peragratis prius multis Slavorum provin-
ciis demum pervenerint ad Rugianos, ubi fomes erat errorum & sedes
idololatriæ. Credibile enim est, illos non tantum intendisse nostro-
rum hominum salutem, sed omnem quoque aliorum, ad quos modo
daretur aditus. Præcipue tamen locarunt operam suam Ranis, in
quorum insula oratorium dicuntur fundasse. Non autem diu mansit
hic populus in fide, sed brevi post, injuriâ temporum, diaboli fraude,
propriaque superstitione incepit rursus Svantevitum divinis afficere
honoribus, relabique in idololatriam priori multo deteriorem. De
quo dæmonico cultu Rugianorum differemus, posteaquam prius
docuerimus sequenti disputatione, quo pacto sibi hi Monachi
commemoratione S. Viti aditum struxerint ad con-
vertendos Rugianos.

De Conversa Rugia,
disputanti Doctissimo DN. RESPONDENTI
fausta quæque apprecatur

PRÆSES.

Rugiam facerrimo
Litasse quondam Dæmoni, fideles
Rettulere paginæ,
Suisque sacris turpiter dolosis
Plurimis celebrium,
Septentrionum civibus nefanda,
Intulisse scandala,
Nostrosque supplantasse Pomeranos,
Principesque maximos
Traxisse sæpe fœdus in malignum:
Inque Numen impotens
Pietate ficta rebus exuisse,
Fortioris imperi.
Hinc tantus olim splendor atque nomen
Rugii fuit soli
Tota sub Arcto, ut maximi tyranni,

Quos

Quos nec arma, nec decus
Curæ paternæ, nec preces suorum,
Aut avita gloria
Sacris vetustis addidit parentum;
Flebilesque naniæ
Movere nunquam pauperum virorum,
Ut vel elocaverint
Paucos eorum pro salute nummos:
Hanc in insulam tamen
Ad Rugiani Svanteviti honores
Miserint pecunia &
Multis onustas mercibus carinas
Cognitisque non prius,
Quis non stuperet illa Svanteviti
Dæmonis vaferrimi
Aulæa sedulis polita dextris,
Munus à potentibus
Datum tyrannis? ultima recisas
Africa quis aureas
Non insolens horresceret columnas,
Aut trabes celebrium,
Jussu petitas Principum ex Hymetto,
Queis superbientia
Delubra Vitorum vetustus orbis
Arctici Lycaonis
Ornavit olim? at quam nefanda sedem,
Fecit execrabilem,
Quondam trucidis figura Svanteviti,
Nunc sacratus occupat,
Gratissimo signo tholus notatus
Optimæ crucis DEI
Nostri Redemptoris, benigna cujus
Visitatio patres
Et nos salute plurima replevit.
Hoc, amice, dum doces,
Largissimam tibi precor salutem.

22(0)20



JK 804


ULB Halle 3
004 526 04X



f
g,

V 317 K.C.







ATIO PRIMA
 IANORUM RELIGIONE,
 probatur,
 AM FUISSE
 M PRIMAE
 E CHRISTI-
 N RUGIA.

bit cam,
 f. Facult. Philosoph.
 Gryphisvaldensi,
 DC XCIII. qui celebratur
 religionem Lutheranam
 Suecia,

RESIDE
 CHRISTOPHORO
 HARDI,
 Tore Publico Extra-Ord.

PONDENS
 CH GRÜTZMACHER,
 iswaldensis,
 L. Q. C. die 30. Martij.

SWALDIÆ,
 ENJAMINIS STARCKII,
 CAD. TYPOGR.

27

